Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26101
Copyright: Admont, Benediktinerstift

erat unus pariter decimatus sit. Non quia necesse est intelligamus secundum aliquem mo-
dum ibi Christum non fuisse. Quis enim neget eum secundum carnem (ibi) ibi fuisse? Nisi est quia
Christus de traduce praevaricationis Adae. alioquin et ipsa fuisset. Hic existunt
illi qui traducem animarum defendunt et dicunt confirmatam esse sententiam
suam. si Leui constat et secundum animam fuisse in lumbis Abrahae in quo eum deci-
mauit Melchisedech. ut possit ab eo Christus in ista decimatione discer-
ni. Qui quoniam decimatus non est et tamen in lumbis Abrahae secundum carnem fuit restat
ut secundum animam ibi non fuerit. (ł sit) Unde fit consequens ut ibi Leui secundum animam
fuerit. hoc ad me non multum attinet. quorum utrorumque collatione adhuc audi-
re sum paratior. quam in utrorumlibet iam confirmare sententiam. Interim Christi animam
ab origine traducis huius per hoc testimonium secernere uolui. Inuenient for-
te isti quid eis pro ceteris respondeant et dicant quod et me non parum mouet. quomodo si
nullius hominis anima sit in lumbis patris sui. secundum carnem in lumbis tamen Abra-
hae constitutum Leui decimatum et ibi constitutum Christum secundum carnem non decimatum.
Secundum rationem (nem) uero illam seminalem ibi fuit Leui. qua ratione per concubitum
uenturus erat in matrem. secundum quam rationem non ibi erat Christi caro. quamuis secundum
ipsam ibi fuerit MARIE caro. Qua propter nec Leui nec Christus in lumbis Abrahae
secundum animam. secundum carnem uero et Leui et Christus. sed Leui secundum concupiscentiam carnalem. Christus autem
secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et uisibilis corpulentia et in-
uisibilis ratio. utrumque cucurrit ex Abraham uel et ex ipso Adam usque ad corpus
MARIE quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est. Christus autem uisibilem carnis substantiam
de carne uirginis sumpsit. Ratio uero conceptionis eius non a semine uiri.
sed longe aliter ac desuper uenit. Vel inde secundum hoc quod de matre accepit. et
in lumbis Abrahae fuit. Ille est ergo decimatus in Abraham. qui licet secundum carnem tan-
tum sic tamen (fuit) in lumbis eius quemadmodum in sui patris et ipse Abraham. id est. qui sic est natus
ex patre Abraham quemadmodum de suo patre natus est Abraham. per legem scilicet in mem-
bris repugnantem legi mentis et inuisibilem (ł inuincibilem) concupiscentiam. quamuis eam casta
et bona uita (ł iura) nuptiarum non sinant ualere nisi quantum ex ea possunt geni-